

simpliciter dicitur duobus modis, ut inquit S. Thomas infra quæst. LI, art. v: uno modo quod est simpliciter, id est, absolute, et sine diminutione tale, et hoc opponitur ei quod est tale secundum quid: alio modo dicitur simpliciter tale, id est, quod est omnibus modis tale. Christus ergo hoc secundo modo non est caput Angelorum, sicut hominum, ut etiam advertit S. Thomas hic articulo IV, sed primo modo est absolute, et simpliciter caput Angelorum, et non secundum quid, licet non influat eis essentialem vitam, sed accidentalem, quia perfectissime ei subordinantur Angeli. Quod sufficit ut sit eorum Dominus, et caput secundum exteriorem gubernationem, et interiorem influxum. Ratio autem capitis mystici absolute, et simpliciter non sumitur ex solo effectu, quem influit, sed ex subjectione, quam habent membra mystica ad ipsum. Hoc autem simpliciter invenitur in Angelis respectu Christi, quia simpliciter sunt ejus ministri, et subditi, ab ipsoque recipiunt influxum accidentalem.

LXXXII. Et quod hoc sufficiat ad constituendum simpliciter statum mysticum patet; tum, quia invenitur ratio capitis simpliciter sine ulla influenza, ut in principe respectu reipublicæ; tum, quia res-

pectu Angelorum salvantur illæ tres conditiones supra requisitæ ad rationem capitis, scilicet ordo, perfectio, et influxus, quia Christus est in ordine prior omnibus Angelis prioritate finis, et est perfectior in excellentissima gratia, et habet influxum in illos, tum secundum exteriorem gubernationem, tum secundum interiorem influentiam in accidentalibus donis. Influentem autem ipsam vitam essentialem gratiæ solum pertinet ad majorem perfectionem capitis; non ad ipsam substantialem rationem simpliciter, quia simpliciter salvantur conditiones prædictæ.

LXXXIII. Quod vero additur non ita perfecte salvari in hac sententia quomodo gratia Angelorum consummatur per Christum, respondetur optime salvari per hoc quod ab ipso recipit perfectionem accidentalem, sicut omnis substantia perficitur, et consummatur per accidentia; et secundum istas accidentales perfectiones gratia illa subicitur Christo, quia licet prædestinatio Angelorum quantum ad essentialia non sit per Christum, tamen quia etiam prædestinati sunt ut futuri ministri Christi, postquam essent beati, consequenter prædestinati sunt ut consummandi, et perficiendi accidentaliter per Christum.

QUÆSTIO IX.

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMUNI.

Cum supra quæstione septima proponeremus ordinem, quem S. Thomas observat in his quæstionibus, diximus, quod post explicationem mysterii incarnationis quantum ad substantiam, a quæstione septima incipit sanctus doctor agere de his, quæ simul assumpta sunt a Filio Dei in natura humana. Sic enim assumpsit naturam nostram, ut non assumeret eam nudam, et vacuam, sed ut evangelista testatur: *Plenum gratiæ et veritatis*: nec similiter ita glorificatam, ut in dispensatione temporis auferret passibilitatem carnis, sed plane ut Isaias cap. LIII loquitur: *Vidimus eum virum dolorum, et scientem infirmitatem*. Quem ordinem, quasi ex his duobus Scripturæ locis, S. Thomas theologice observavit, ut in coassumptis a Filio Dei in humana natura, prius ageret de perfectionibus assumptis, quæ explicantur illis duobus verbis gratiæ, et veritatis: deinde de defectibus, seu imperfectionibus ad opus redemptionis relictis in natura, quæ illis aliis duobus verbis explicantur, scilicet, dolore, et infirmitate.

Igitur hunc ordinem servans D. Thomas in tractatu de perfectionibus assumptis, prius egit de gratia animæ Christi duobus præcedentibus quæstionibus, et in præsentem incipit agere de veritate, id est de scientia, et cognitione animæ Christi. Et procedit tali ordine, quod prius agit de scientia in communi, et quoad an est, scilicet an fuerit in Christo scientia creata, et quæ scientiarum genera fuerint, quæ ad tria reducuntur, scilicet ad scientiam beatam, infusam supernaturalem, et naturalem acquisitam. Deinceps vero per tres sequentes quæstiones agit de singulis generibus istarum scientiarum, et de modo, quo fuerunt in Christo de earumque perfectione, et quidditate. Et sic quæstione duodecima terminat sanctus doctor tractatum de plenitudine gratiæ, et veritatis in anima Christi.

Quia vero simul cum ista, et veritate conjunctam habuit gloriam: *Quasi Unigeniti a Patre*, quæ maxime consistit in potestate, et virtute, qua: *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes* (nam ut bene notat magister Cabrera quæstione nona in commentario, articulo secundo), quando dicitur gloriam quasi Unigeniti, non significatur per ly gloriam beatitudo animæ, quam Apostoli non viderunt, et hæc in Ecclesia intelligitur in illo verbo: *Plenum veritate et gloria*; sed significat ibi excellentiam, et majestatem illius humanitatis, quæ maxime in potestate operante miracula effulgebat; ideo S. Thomas ad consummationem doctrinæ de perfectionibus animæ Christi agit quæstione decima tertia, de potentia animæ Christi, quæ maxime pertinet ad summam illam majestatem, et gloriam Unigeniti Filii Dei.

Deinde quæstione quarta decima et quinta agit de defectibus relictis in natura humana, qui explicantur illis verbis duobus, dolore et infirmitate: nam dolor, qui sensibilis est, generaliter pertinet ad defectus animæ, et virtutis, et sic agit de illis quæstione quarta decima. Infirmitas vero magis pertinet ad defectus animæ, et virtutis, et sic agit de illis quæ-

stione undecima quinta, ac denique ex his omnibus infert articulo decimo, quæstione decima quinta, simul esse viatorem, et comprehensorem. Sicque terminat tractatum de perfectionibus, et defectibus assumptis a Filio.

EXPOSITIO LITTERÆ D. THOMÆ.

In primo articulo, ubi inquit sanctus doctor, utrum Christus habuerit aliquam scientiam præter divinam, nomine scientiæ non intelligit determinate habitum scientificum, prout distinguitur ab actu, sed inquit ipse sanctus doctor in calce corporis articuli: « Scientiam hic large accipimus, pro qualibet cognitione intellectus humani. » Sic autem sumpta scientia est manifesta fides dari in anima Christi scientiam, id est, cognitionem creatam. Et S. Thomas refert damnatam esse in sexta Synodo positionem negantium in Christo duas sapientias, vel scientias; non quidem, quod sub hoc nomine scientiæ, vel sapientiæ sit definitum esse in Christo duas sapientias, vel scientias; sed quia definitum est duas esse operationes, et duas voluntates; et similiter habuisse naturam humanam, omnia quæ humana sunt, et omnes proprietates naturales, et specialiter mentem nostræ menti similem, ut habetur in alia sexta Synodo, actione quarta, in epistola Agathonis papæ, et in epistola Sophronii actione duodecima. Ex quibus diffinitionibus, attendens D. Thomas ad sensum magis, quam ad verba, intulit in corpore articuli illam causalem: « Quia nihil naturalium Christo defuit, qui totam nostram naturam suscepit, » et ideo damnatam esse positionem negantium duas scientias, vel sapientias in Christo, id est, operationes, et cognitiones illius, quia sine illis, neque mens Christi esset similis nostræ, neque omnes proprietates, et perfectiones habuisset in Christo rationalis natura, et consequenter neque consequerentur duæ operationes voluntatis. Et hæc quidem probatio pro catholicis.

Contra hæreticos autem, qui Synodorum, et Ecclesiæ decreta vident, utitur sanctus doctor probationibus petitis ex congruentiis maxime efficaciis. Primo quidem, quia alias natura rationalis, et anima esset imperfecta in Christo, si careret propria, et nobilissima operatione cognoscendi. Non debuit autem imperfectam assumere naturam is, qui totam naturam venerat perficere.

Si respondeat hæreticus, non esse hoc imperfectionis in natura humana, sed sublimioris perfectionis, quia divina operatio supplebat naturalem animæ operationem, sicut personalitas divina supplet creatam, neque ex hoc imperfectior manet natura, urget S. Thomas secundam et tertiam probationem; secundam quidem, quia quælibet res est propter suam operationem, quia quod nihil operatur, tamquam otiosum, et frustraneum est in rerum natura: unde frustra esset natura humana assumpta a Verbo, si propria operatione careret; sic enim otiosa esset talis natura quantum ad propria. Quod non currit in personalitate propria, quia res non est propter suam subsistentiam, sicut est propter suam operationem.

Tertiam autem probationem addit sanctus doctor solutione ad primum, quia intelligere Dei, non potuit esse actus, et operatio animæ humanæ, cum sit alterius naturæ: unde si non fuisset alia scientia in Christo præter increatam, nihil omnino cognovisset anima Christi, et consequenter, neque voluisset, et sic careret omni operatione. Quomodo autem verificetur, quod operatio divinæ naturæ non potest communicari naturæ crea-

tæ, sicut potest personalitas, in sequenti disputatione operosius inquiratur.

In solutione ad secundum, nota, quod argumentum propositum a D. Thoma, scilicet de luce majori, et minori, quod posita majori offuscatur minor, habet in sententia D. Thomæ plures solutiones. Nam in primis, quantum ad præsens attinet, facilis videri posset hæc solutio, dicendo, quod licet lumen scientiæ increatæ sit majus in infinitum, quam lumen creatæ scientiæ, tamen conveniunt diversis naturis, et sic non sunt respectu ejusdem subjecti: in diversis autem subjectis lumen majus non impedit minus. Licet autem in Christo sit unum suppositum, sunt tamen duæ naturæ, et consequenter quasi duplex susceptivum, unde lumen unius, non impedit lumen alterius.

Alia solutio poterat esse, quod lumen majus non offuscatur, neque impedit minus, quando non sunt ejusdem speciei, neque per idem medium, sed per diversum. Sicuti in Angelis cognitio rerum in Verbo, quæ dicitur cognitio matutina, non impedit cognitionem ejusdem objecti in proprio genere, quæ est cognitio vespertina. Neque in nobis cognitio ejusdem conclusionis per lumen metaphysicum, vel physicum non se impediunt, neque unum offuscatur aliud. Quæ doctrina est D. Thomæ 1 part. quæst. LVIII, art. VII ad tertium, ubi etiam affert exemplum de syllogismo probabili, et demonstrativo, qui simul est in eodem intellectu, de quo dicemus articulo tertio.

Cæterum D. Thomas in solutionibus argumentorum, non agebat de duplici lumine majori, et minori secundum quod in genere causæ formalis actuant, et informant idem subjectum, et quasi comparantur sicut formæ subjecti illuminati: nam secundum hanc considerationem, jam dixerat solutione ad primum: « Quod non potest intelligere Dei esse actus naturæ humanæ, cum sit alterius naturæ. » Et in hoc sensu procedunt priores duæ solutiones assignatæ. Hoc ergo secundum argumentum procedit de lumine majori offuscante minus in genere causæ efficientis. Sic lumen majus non solum tamquam forma in eodem subjecto cum lumine minori, sed tamquam efficiens lumen excessivum impedit ne lumen minus appareat, et illuminet, et sic solutio D. Thomæ formaliter continet: « Quod lumen majus offuscatur minus, quando utrumque se habet ut illuminans; non autem quando minus se habet ut illuminatum, et causatum ab alio, ut patet in aere illuminato a sole, cujus lumen non offuscatur a sole, quia causatur ab ipso. »

Quod si instes: Nam lux scientiæ creatæ non solum est aliquid illuminatum, sed etiam est in ordine illuminantis; vere enim effective illuminat: ergo ruit solutio D. Thomæ, quia tunc ex ea potius sequitur oppositum, quod intendit: offuscatur enim scientia creata ab increata, cum utraque sit in ordine illuminantis.

Sed respondetur, quod sensus D. Thomæ semper est formalis. Stare enim in ordine illuminantis sumitur dupliciter. Uno modo, quia primo, et per se sit illuminans: alio modo, quia primo, et per se sit illuminatum ab aliquo lumine, licet etiam illi conveniat illuminare ex consequenti, quia illuminatur ut illuminet. Et propositio D. Thomæ procedit in primo sensu, non in secundo, ut patet manifeste in exemplo allato a D. Thoma de aere illuminato a sole, qui ita illuminatur, ut illuminet corpus sibi contiguum, quia tamen hoc illuminare habet ex eo, quod illuminatum est, non impeditur, sed potius juvatur talis illuminatio a majori lumine. Scientia autem creata respectu divinæ se habet ut illuminatum ab ipsa, licet comparative ad intellectum nostrum effective illuminet. Quando autem quodcumque lumen, quasi ex æquo, et ad instar causarum partialium convenit ad illuminandum, tunc majus lumen offuscatur minus. Et hanc philosophiam bene notat, quia multum valet ad explicandum quomodo causa prima, quantumcumque præveniat causas secundas ad agendum,

non impedit illas, sed potius juvat ex eo solum, quod causant ut motæ a causa prima, et participando ab illa causationem, et motionem. Sic enim quanto efficacius movet causa prima, tanto perfectius sequitur effectus in secunda. Si vero quasi ex æquo, et simul concurrunt, tunc majus esset periculum ne causa secunda absolveretur ab efficacia primæ.

CIRCA SECUNDUM ARTICULUM D. THOMÆ.

In secundo articulo determinat D. Thomas esse in Christo scientiam beatam, et non inquit S. Thomas de circumstantia temporis, in qua beatitudinem accepit (ut aliqui existimant) neque inquitur de substantia beatitudinis, an sit beatus, sicut alii sancti, quia id supponitur; neque utrum acceperit visionem beatam a primo instanti suæ conceptionis, quia id inquisivit infra quæstione trigesiam; quarta neque utrum fuerit viator, et comprehensor simul, quia de hoc peculiarem constituit articulum infra quæstione decima quinta, articulo decimo; sed abstrahendo ab omnibus istis inquit absolute de convenientia scientiæ beatæ in anima Christi, non de circumstantia temporis quando illi fuerit collata.

Respondet ergo S. Thomas unica conclusione: Oportuit quod cognitio beata in Dei visione consistens, excellentissime Christo homini conveniret, et in argumento Sed contra insinuat S. Thomas, quod sit de fide, ostendens ex sacra Scriptura, quod habuit Christus scientiam beatam, quia hæc consistit in cognitione Dei; sed Christus plene cognovit Deum etiam ut homo, quia dixit Joannis VIII: *Scio eum, et sermonem ejus servo*: et similem vim habent illa verba Joannis III: *Qui de celo venit super omnes est, et quod vidit, et audivit hoc testatur*: et Joannis VI: *Non quia Patrem vidit quisquam nisi is, qui est a Deo hic vidit Patrem*: ac denique Joannis VIII: *Ego quæ vidi apud Patrem loquor*. Omnia hæc testimonia eundem sensum continent, ostendendo, quod Christus vidit Deum.

Sed dices testimonia hæc intelligi posse de ipso Filio, ut Deus est, et quidem ex his testimoniis volebat Christus probare Judæis divinitatem suam; incongruenter autem probaret, si intelligerentur de cognitione beata, ut homo est: secundo, si intelliguntur de Christo, ut homo est, adhuc non plene probant scientiam beatam: sufficit enim, quod cognovisset Deum scientia infusa, per quam cognovit clare Deum quoad an est, licet ipsam essentiam divinam non viderit, ut sequenti quæstione docet S. Thomas; ergo ista testimonia efficacia non sunt quantum ad intentum.

Contra primam solutionem est evidens instantia: Quia Christus dixit de se, quia quæ vidit testatur, et quæ vidit loquitur, et sermonem servat ejus, quem scit; sed testabatur, et loquebatur in quantum homo, et servabat sermonem Patris in quantum homo: ergo videbat, et sciebat eum in quantum homo. Patet consequentia, quia ille videbat, qui testabatur, et qui loquebatur; testabatur enim per vocem ea, quæ per intellectum apprehenderat; sed loquebatur aliis ut homo ea, quæ viderat apud Patrem: ergo videbat, ut homo; et sic licet probaret divinitatem suam ex modo videndi, quia videbat tamquam Unigenitus Patris, et in sinu ejus existens, et ut procedens ab eo, tamen ex eo, quod testabatur, et loquebatur aliis id, quod viderat apud Patrem, efficaciter probabat se ut hominem vidisse Patrem, quia non poterat ut homo loqui, quæ viderat, nisi in quantum homo videret.

Contra secundam autem solutionem instatur; tum, quia per scientiam infusam solum cognovit de Deo quoad an est; non autem quidditative, et

plene illum cognovit; Christus autem dixit: *Scio eum*; scio autem est de quidditate rei, loquendo proprie de scientia, ut significat plenam cognitionem, et sic D. Thomas notanter dixit: « Ipse plene cognovit Deum etiam secundum quod homo, juxta illud: *Scio eum, etc.* ergo intellexit quod ly scio sumitur proprie pro cognitione perfecta, quæ nomine scientiæ importatur: hæc autem debet tangere quidditatem rei, alioquin non esset scientia perfecta: ergo non potest exponi de scientia infusa, sed de beata, nisi illud verbum scio exponatur improprie.

Tum, quia Christus loquitur de visione, qua vidit apud Patrem ea, quæ loquebatur hominibus; sed scientia infusa non cognoscit mysteria gratiæ apud Deum, sed extra Deum in proprio genere, et per proprias species, ut constat: ergo non potest exponi illud testimonium de scientia infusa, sed de beata: unde obiter colliges conformiter ad sacram Scripturam dici, quod beati vident aliquas creaturas in Deo viso, quia Christus dixit: *Quæ vidi apud Patrem hæc loquor*: loquebatur autem multa, quæ ad creaturas pertinebant: ergo illas videbat apud Patrem, et non per revelationes extra Verbum.

In corpore articuli probat sanctus doctor conclusionem suam congruentissima ratione, quia cum agatur hic de scientia beata quoad an est, et totum hoc pendeat a voluntate Dei, non est probanda conclusio ratione metaphysica, sed congruentia. Probat ergo sanctus doctor sic: Quia id quod est in potentia reducitur in actum per id, quod est in actu tale; sed homines sunt in potentia ad visionem beatam Dei, ad quam ordinantur, tamquam ad finem; ergo oportet, quod ille per quem reducuntur in actum talis visionis, sit in actu videns Deum, et non in potentia, sed reducuntur a Christo in quantum est homo, juxta illud ad Hebræos II: *Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem salutis eorum per passionem consummari*: ergo oportuit, quod Christus excellentissime haberet scientiam beatam.

Sed dices in hac ratione apparet defectus manifestus. Nam id, quod est in potentia tale reducitur in actum, per id quod est in actu tale, quando reducitur ut a causa principali. Cæterum quando se habet ut causa instrumentalis, non est necesse, quod sit tale in actu, ut patet in instrumentis animatis, in quibus non est necesse, quod minister habeat gratiam, quam suo ministerio præbet. Christus autem se habuit ut instrumentum dandi gloriam, ergo ex hoc non probatur, quod debuit in actu habere illam.

Sed hæc facile solvuntur ex his, quæ dicebamus disputatione antecedenti, articulo primo, ex D. Thoma, quod Christus Dominus non quomodocumque est instrumentum, sed excellentissimum, et supremum agens ex virtute sibi conjuncta ad modum instrumenti organici, et reducit homines in actu illius rei, cujus ipse etiam est capax; id autem quod sic est instrumentum (utpote perfectissimum, et ex sua perfectione capax ejus, quod instrumentaliter producit) non solum reducit alia in actu secundum quod est tale in potentia, sed secundum quod est tale in actu non ex ratione instrumenti ut sic, sed ex ratione instrumenti ut talis, id est, sic perfecti. Unde D. Thomas non intulit, quod simpliciter erat necessarium, quod in actu esset videns Deum, sed quod oportuit, quia scilicet erat decentissimum, et ut esset instrumentum sic perfectum omnino necessarium.

In solutione ad tertium nota, quod Christus homo dicitur beatus per gratiam unionis beatitudine increata, sed hoc intelligitur per communicationem idiomatum, sicut dicitur omnipotens, immensus, etc. et tamen non formaliter intrinsece.

In articulo tertio inquitur D. Thomas de alio genere scientiæ, scilicet de scientia infusa animæ Christi, et loquitur de scientia infusa per se, et non per accidens. Dicitur enim scientia infusa per se, quæ ex ratione objecti, et modi cognoscendi postulat dari per infusionem, nec potest acquiri per